

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Augustanae Confessionis Historiam, Rectore Magnificentissimo, Serenissimo ... Friderico Augusto, Principe Regio ... A Recentiorum Quorundam Corruptelis Breviter Vindicatam Dabunt**

**Wernsdorf, Gottlieb  
Seeger, Johann Friedrich**

**Vitembergae, 1705**

§XV.

[urn:nbn:de:bsz:31-67830](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67830)

ret / adderet / subtraheret. Vid. Lyseri *wahrhaftiger Bericht wider D. Hoffmanns Beschuldigung* / lit. B. 4.

§. XV. Jam quod ad ferendum de utraque iudicium attinet, etsi ne *simplicem* quidem illam laudemus, quis enim ignaviam, inscitiam, negligentiam, laudet? magis tamen *affectatam* rejicimus, privato quippe consilio, & exemplo minimelaudando, susceptam. Etsi enim quilibet Autor jus habet, librum a se scriptum mutandi pro lubitu; aliter tamen est comparatum cum Symbolo, scriptoque publico, cujusmodi, omnium confessione, est Confessio Augustana. Hæc enim uti ad omnes spectat, sic ab omnibus quoque curari debet, ne, permessa cuilibet mutandi variandique licentia, tot demum Confessiones prodeant, quot Confitentium capita. Saxo igitur Augustus, illa exemplorum varietate deprehensa, ne quem dubitationi, vel calumniis, locum relinqueret, ipsum *αὐτόγραφον*, seu primigenium, ipsique in Comitibus recitatum exemplum, a Moguntino petiit, eoque tandem impetrato jusfit, ut duo Rhaviana editionis anni 31. exempla cum eodem diligentissime conferrentur, & quod ex duobus illis maxime respondisset, Corpori Librorum Symbolicorum, altero neglecto, infereretur, ut denuo testatur Lyserus *loc. cit. littera C. 1.*

§. XVI. Circumstantiali mutationi *substantialem* opponimus, in qua disceditur a doctrina, primo in exemplo proposita, idque in gratiam adversariorum, quo nempe eorundem erroribus latibulum præbeatur, in Capitibus a Confessione ipsa manifesto & palam improbat. Quæ quidem a circumstantiali quam plurimum differt. *Hæc enim versatur in Syllabis contractis, vocibus trajectis, mutatione idiomatis & sermonis, amplificatione*